

FRAGMENTA

VETERIS TYPOGRAPHIAE

MAGNO-VARADINENSIS

COLLECTA

A

IACOB. FERDIN. DE MILLER

*Complurium Inclytorum Comitatum ad Tabu-
lam Iudiciariam Assessore, et Bibliothe-
cae Hungarico-Széchenyianae Regnicolari*

A

CVSTODIA.

PESTINI,

apud IOSEPHVM EGGENBERGER, Bibliop.

1803.

— — — — *apicem rapax*

Fortuna cum stridore acuto

Sustulit — — — — —

Horat. Carm. Lib. I. od. 34.

VIRO.

EXCELLENTISSIMO.

ILLVSTRISSIMO. DOMINO. COMITI.

FRANCISCO.

S Z É C H É N Y I.

D E.

SÁRVÁRI. FELSŐ. VIDÉK.

INSIGNIS. ORDINIS. REGIO. NEAPOLITANI.

SANCTI. IANVARII.

E Q V I T I.

SAC. CAES. ET. REG. APOSTOL. MAIEST.

C A M E R A R I O.

E T.

ACTVALI. INTIMO. STATVS.

CONSILIARIO.

P E R.

INCLYTVM. REGNVN. HVNGARIAE,

CVBICVLARIORVM. REGALIVM.

MAGISTRO.

INCLYTI. COMITATVS. SIMEGHIENSIS.
SVPREMO. COMITI.

· NEC. NON.

EXCELSAE. TABVLAE. SEPTEMVIRALIS.
ASSESSORI. ET. COIVDICI.

LEGATIONE. NEAPOLITANA.

ET.

ITINERIBVS. PER. EVROPAM.
INCLVTO.

BONARVM. ARTIVM.
PROMOTORI.

ERVDITORVM. MOECENATI.
MVNIFICENTISSIMO.

BIBLIOTHECAE. HVNGARICO.
REGNICOLARIS.

FVNDATORI.

VITAM. FELICITATEM.
PERPETVAMQVE. SALVTEM.

QUOD me unum proxime COMES
EXCELLENTISSIME! ad Custodis mu-
nus in amplissima, non minus quam pre-
tiosissima Rerum Hungaricarum Biblio-
theca ex iis, qui ad illud aspirabant, ele-
geris, et annuente Summo Terrae Prin-
cipe inuitaueris, mihi, haud aliqua hono-
ris cupidine vexato, iucundius nihil acci-
dere potuit. Probari enim Viro, quem
ornandae Patriae negotiis intentum prae-
clarissimorum facinorum fama ubique co-
mitatur, laudem, praemiumque virtutis
reor esse maximum. — Mea ergo inter-
est, ut pro hac TVA in me beneficentia,

qua me dignum iudicasti, cui publicae curae crederentur, tantam habeam gratiam, quantam imbecillus animus meus capere potest. Thesauros quippe tum impressorum, cum manuscriptorum Codicum, Tabularum item geographicarum, Iconum, Numorum, et Armorum, totius denique Supellectilis hungaricae poene incredibiles, quibus nuper Regnum ultro et sponte donasti, atque locupletasti, certum in ordinem disponendos, et communi vsui erigendos meae dexteritati (si gloriari fas est) plena cum fiducia, omnique cum promptitudine ita traditos esse voluisti, ut immortale hoc TVVM Institu-

tum, cui vix simile Europa habet, regia auctoritate pronunciaretur **REGNICOLARE**. — Nisi omnem pietatis sensum erga Principem, et Patriam exuam, suauem omnino mihi hanc esse provinciam, facilius diuinare potes, quam ego verbis exprimere valeam. — Fortunam istam nullo merito mihi euenisse puto, sed **TVAE** duntaxat bonae de me opinioni adscripserim. — **TU** enim, qui aetatem a laboribus metiendam, et a benefaciendi consuetudine habendam decreuisti, tum demum viuere, et anima frui **TIBI** videris, quum mens **TVA**, optimis artibus imbuta, profusius iis, quos Rebus patriis illustrandis vacare no-

uit, congenitae munificentiae luculenta dare testimonia, Religioni autem in Deum, Fidei in Regem, et Amori in Patriam sempiterna ponere potest monumenta. — Modestia TVA, quam a Maioribus TVIS cum sanguine traxisti, me prohibet personam Praeconis induere, qui in TVA encomia prolixus diffundatur. Celebrantur ea caeteroquin omnium ore, scriptisque, tum domi, tum foris. — De me ipso duntaxat loquor; meam depraedico felicitatem, qua antea Cultoribus, nunc etiam Clientibus TVIS adnumeror. — Hac ego excitatus, neutiquam mihi morandum existimaui, quo minus, fidei sacramento Re-

gi, et Regno iam adstrictus, in ipso muneris aditu *Primitias bibliographicas*, quae quidem *ultra* *Fragmenta veteris Typographiae Magno-Varadinensis* non protenduntur, *publici iuris facerem*, *TVO*que *inscriberem Nomini*. — *Absit*, *velim*, *quam longissime omnis adulandi suspicio*. — *Liberalis TVA*, qua me in *Aedibus TVIS* excipis, *voluntas suum gratitudinis*, quod a me *proficisci potest*, *officium postulat*. *Hoc paucis istis*, quas in *tesse-ram perpetuae meae observantiae TIBI* offero, *plagulis praestare gratus meus gessit animus*, eo cum *votorum fastigio*, ut *Coeli pro Religionis, Regis, et Regni incre-*

*mento , ac illustris SZÉCHÉNYIANAE
Stirpis splendore , atque commodo TIBI
quam diutissime eam largiantur valetudi-
nis firmitatem , rerum omnium affluen-
tiam , honorumque accessionem , quae par-
sit TVIS in utramque rempublicam meri-
tis : mihi autem , quoad vixero , TVAM
concedant gratiam. Vale.*

*Scribebam Pestini
ad diem XII. Februarii
Anno Salutis MDCCCIII.*



NISI me omnis fallat opinio, nullo prorsus negotio me induci patior, vt credam Urbibus, ac Oppidis, quae iam cum primis Hungariae saeculis bonarum Artium studia sinu suo complectebantur, etiam *Magno - Varadinum*, Ciuitatem olim opulentissimam, florentissimamque adnumerari.

Vix enim Solii regii dignitas erecta, Legum ferendarum potestas, Religionisque christianae veritas propagata fuit; iamiam *Varadinum*, perhibentibus Diplomatum (a), ac synchronorum Scriptorum (b) testimoniis, promte Literis

(a) Producit hanc in rem Litteras PRAYUS *Hierarch. Hungar. Part. II. pag. 175.*

(b) Testimonio vtique est ipse ROGERIVS Canonicus Varadinensis, et JANVS PANNONIVS *Poemat. edit. nou. Part. I. p. 643. et seqq.*

domicilium prae-buit, easdemque gustui illorum temporum accomodatas, etiam promouere contendit; (a) quod scilicet illae Hungaris nunquam non viderentur aptissimum esse publicae securitatis medium, suauissima culturae, et religionis institutio, firmissimum rerum gerendarum praesidium, perennis denique erga Principem fidei, Patriamque amoris fundamentum.

Etsi haud aliud vetustatis monumentum praesto esset, quo haec propensa Popularem nostrorum in bonarum artium studia voluntas confirmari quiret, abunde tamen sufficiens credendi argumentum praebet frequens *typorum* vsus, quorum paullo post inuentam Artem ty-

(a) Crf. WALLASZKY *Consp. Reipubl. Literar. in Hung.* Sect. poster. §. 1. 2. 3. et seqq. Progressum Literarum apud Varadinenses olim enarraui in *Orat. inaugur. habita die 1. Septem. an. 1788. in R. Acad. M. Varad. quum Facultas iuridica erigeretur*, quae manuscriptor. meor. *Operum omnium varii argumenti* Tom. V. pag. 169 — 197. inserta est.

pographicam, in Hungaria vestigia offenduntur.

Profecto Regni metropolis, Regumque olim sedes *Buda* (natale quippe meum solum) superbit gloria primi in Patria preli. Quem enim fugiat, rarissimus ibidem in folio minori excusus Liber, qui a loco impressionis *Chronicon Budense* inscribitur, et ab ANDREA HESS typotheta, in Historia Literaria Hungariae haud ignoto, publica donatus est luce anno 1473. finitusque in *Vigilia Pentecostes*? Hodie vix aliquem Rerum hungaricarum studiosum inuenias, qui rarissimi huius Operis, si non habendi, saltim videndi desiderio non rapiatur. (a)

(a) Anno 1785. concinnaui *Exercitationem academicam de primis Lineis Typographiae in Hungaria*, quae mea manu exarata existit in Bibliotheca Excell. ac Ill. D. Comitum SAMVELIS TELEKI, Cancellarii Aulici Transsilvaniae, cuius filio primogenito DOMINICO, praemature Patri, et Literis nuper erepto, eam inscripsi; enarrans prolixè, quidquid ad historiam *Chronici Budensis* mihi spectare vi-

Nec abs re: quia insignes Instituti typographici in Hungaria conatus cum *Chronici* huius memoria adhuc saeculo XV. interciderunt.

At vero largiti rursus sunt coeli Promotores Literarum non minus perspicaces, quam liberales, quos inter in noua studendi adminicula ingentes plane opes profuderunt illustres Patriae Cives FRANCISCVS a BATHYÁN, et THOMAS de NÁDASD. Istorum curas etiam complures alii de Rege, Patria, et Literis optime meriti Viri succolare tanto studio co-

debatur. Nescio, an plura alicui exemplaria cognita sint, quam vnum, quod Bibliotheca Academiae *Lipsiensis* possidet; alterum, quod *Pragae* in Caesareo-Regiae Uniuersitatis Bibliotheca habetur; tertium, quod in Augusta Palatina *Vindobonensi* conseruatur; quartum, quod in f. f. privilegirten *Anzeigen* describitur. Istud exemplar nitidissimum de manu in manus transiit: nunc insignem hungaricam impressorum, et manuscriptorum Codicum supellectilem NICOLAO-JANKOVICHIANAM *Pestini* exornat.

nati sunt, vt saeculo *sexto* et *septimo* supra *decimum* in diversis locis per Hungariam optime instructa iterum resuscitarentur *Typographeae*. (a)

Etiamnum versant suis cum quadam admiratione manibus Eruditi nitidissima Producta, quae in *Németh-Ujvár* sub initium seculi XVI. prodierunt, quibus praecipue accenseri merentur ANDREAE BEYTHE Opuscula, idiomate patrio conscripta. (b) Celebratur alterum quoque eiusdem temporis prelum, quod *Neanesi*, seu in *Uj-Szigeth* (c) floruit. Hic anno 1539. BENEDICTUS ABÁDI typo gothico JOANNIS SYLVESTRI, alias ERDÉLYI *Grammaticam Hungarico-Latinam in usum*

(a) Amicus meus Cl. INNOCENTIVS SIMONCHICZ e S. P. texuit Catalogum Typographiarum saeculo XVI. et XVII. apud Hungaros in *Diss. de ort. et progress. Literar. in Hung.* cap. III. pag. 72. et seqq.

(b) Memorantur ea in *Catal. Biblioth. Hung. FRAN. C. SZÉCHÉNYI* Tom. I. Part. I. p. 125.

(c) Hodie Villa est in Comitatu Castriferrei ad Dominium *Sárvár* Sereniss. Archiducis FERDINANDI Senioris pertinens.

puerorum impressit. (a) Anno 1541. Eiusdem etiam Versionem hungaricam *Noui Testamenti* iisdem characteribus edidit. (b) RVDOLPHVS autem HOFHALTER anno 1574. in *Nedelischa* (c) slauico sermone, ad dialectum *Croatis* familiarem accomodato, vulgavit STEPHANI de VERBÖCZ *Opus tripartitum Juris consuetudinarii hungarici*. (d) At RAPHAEL HOFHALTER anno 1567. *Albae Juliae* (e) memoriam nominis sui obscuravit impressione scelestarum iconum, quas tum Ariani in Transsilvania aduersus mysterium Sanctissimae Trinitatis in vulgus spargere non reformidarunt. (f) *Debre-*

(a) WINDISCH *Geograph. von Ungern*. I. Th. pag. 58.

(b) Refertur in *Biblioth. Hungar.* C. FRAN. SZÉCHÉNYI Tom. I. Part. II. pag. 383.

(c) Pagus est in *Muraköz*, quem hodie possidet Ill. D. C. GEORGIUS FESTETICH de *Tolna*. S. C. R. A. M. Camer.

(d) PRAY *Ind. Lib. rar. Biblioth. Vniu. R. Bud.* Part. II. p. 427.

(e) Hodie *Alba-Carolina* nominatur.

(f) BENKÖ *Transsil.* Tom. II. pag. 326.

cini autem vterque HOFFHALTER diuini inuenti monumenta reliquit. Mitto HONTERIANA, et HELTAIANA apud Transsiluanos publici iuris facta typographica specimina.

Fortasse, praedominanti sub illam aetatem diuersitati opinionum in dogmate Religionis tribuendum est, quod in remotissimis locis saeculo XVI. et XVII. Typographiae complures exsurgerent, quae vti aetatem non tulerunt, ita fere vix aliud procuderunt, quam nonnulla Opuscula controuersistica, sacras Conciones, funebrales Sermones, Libellos scholasticos, vel precatorios, et quaedam alia sempiternis damnanda tenebris. Res historicas vt plurimum neglectas fuisse, innumera illorum temporum *Manuscripta* testificantur.

Sed enim me haud operae pretium facturum existimauerim, si Artis typographicae primordia, atque progressum in Hungaria prolixius enarrauero, quum iam dudum concinnandae Historiae Typographiarum in Hungaria manum admo-

nerit CAROLVS FEJÉRVÁRI, prout a meo condam Amico eruditissimo DANIELE CORNIDES per Litteras de 3tia Februarii anno 1787. his plane verbis edoctus sum: *De his, et similibus ex instituto aget Perill. D. CAROLVS FEJÉRVÁRI*, qui *Typographiarum hungaricarum recensum, et historiam succinctam molitur, quiae non contemnenda iam in rem suam collegit praesidia, ab Ill. in primis Barone RÁDAY seniore, instructissimae Bibliothecae possessore, adminiculis adiutus bene multis.* Nondum tamen desideriiis eorum, qui Antiquitatum librariarum illecebris delectantur, satisfactum est. Auctore enim fati functo, Collectanea viri praestantissimi in alias deuenere manus, et nunc in aliquo scrinio occultantur. Vtinam! aliquis exoriat, superiorum temporum in hoc genere molimina ab obliuione vindicaturus. Gloriatur *Vindobona* DENISIIS, (a)

(a) DENIS MICH. Wiener Buchdrucker Geschichte. 4. Viennae 1782.

Suecia ALNANDRIS, (a) *Germania* KÖHLERIS, (b) et TENZELIIS; (c) alia regna alios prelorum suorum Annalistas loquuntur. Sola Hungaria veterum suarum Typographiarum memoriam obliterari patiatur? Me spero, nemo temere egisse, et a munere, cui praefectus sum, alienum suscepisse dixerit, si interea industriam, quantulacunque sit, in colligendis *Fragmentis*, celebris olim apud *Magno - Varadinenses* Typographiae pro meo modulo exercere, eademque Bibliophilis Patriae indicare adnissus fuero.

Namque exploratum est, Incolas Varadinenses, vtprimum dogma JOANNIS CALVINI amplexi sunt, de erigendo Typographaeo mutua agitasse consilia. Sub annum enim 1557. Praefectus Arcis, to-

(a) JO. O. ALNANDRI *Historia Artis typographicae in Suecia*. 8. Rostoch. et Lipsiae 1725.

(b) JOH. DAVID. KÖHLER *Ehrenrettung Joh. Gutttenbergs*. 8. Lipsiae 1741.

(c) TENZEL ERNEST. WILH. *Discours von Erfindung der löbl. Buchdruckerkunst in Deutschland* 12. Gotha. 1700.

tiusque Prouinciae Bihariensis ANTONIVS NIKÁZO, vel potius NYAKAZO, (a) Canonicos Capituli ex arce, in qua domicilium habebant, exulare iussit, (b) occupatisque religiosorum virorum monasteriis, piis Foundationibus nouam faciem indidit. Surrexit quippe continuo Schola Reformatorum celebris cum *Typographaeo*, in qua anno 1566. GEORGIVS SÁRVÁRI noui dogmatis asseclis Scientias theologicas publice professus est;

(a) Sub hoc nomine latere ANTONIVM KENDI iam docui in *Comitibus Bihoriensibus fide diplomatica erutis* 8. *Magno - Varadini* 1791. quos auctiores, et a naeuis repurgatos nuper transcripsi in manuscriptorum meorum *Operum omnium varii argumenti* Tom. V. p. 451.

(b) Excidium Capituli Magno - Varadinensis sub haec tempora incidisse, confirmat Sententia Inclytæ Tabulae Regiae anno 1736. in *Processu Iosephi Inczédi* contra Ducem Mutinensem, et Episcopatum Varadinensem lata. Vid. Excell. Ill. ac RR. D. Archiepiscopi Colocensis LADISLAI a Comitibus KOLLONICH (tit.) etc. *Repraesentationem* super officio Supremi, ac Perpetui Comitum Bachiensis Ecclesiae Colocensis iuribus asserendo. pag. 14.

(a) quod, vt longe lateque propagaretur, beneficio typorum varios inter populum disseminare Libellos, eorundemque impressionem *Varadini* curare haud intermiserat. Consentit mecum PETRVS BOD, (b) qui perinde hic iam seculo XVI. extitisse Typographiam asseuerat. Me e Catalogo Librorum DAN. CORNIDES (c) et aliunde collecta exemplaria huc transcribere neutiquam piguit.

Sec. XVI.

Enyedi Joan. Menyei Szó, vagy a' Lelki áloból való fel-serkentés. 8. Várad. 1557.

Perrari huius Libri meminit Cl. HORÁNYI, (d) et in selectissima Bibliotheca, quam illustre Collegium Hel. Conf. *Debrecinense* possidet, etiam conseruatur.

(a) WESZPREMI *Biograph. Medicor. Hung. et Transsil.* Centur. II. pag. 56.

(b) In suo *Erdélyi Feniks* pag. 53. ait: *Várad várossában-is volt valami Tipografia régtől fogva.*

(c) *Bibliotheca Hungarica.* 8. Pestini 1792.

(d) *Memor. Hungar.* Part. I. pag. 620.

MELII PETR. A' szept Jánosnak tett Jelenésnek igaz, és irás szerint való magyarázása Prédikatioiok szerint. 4. Varad. 1568.

Memoratur tam a BODIO, (a) quam ab HORÁNYIO, (b) et perinde in Debrecinensi Bibliotheca reperitur.

MELII PETRI Propositiones de Jah, et Jehovah, seu de Vnitate, et Trinitate in Deo Vero, item de Christi aeterna generatione, etc. 4. Varad. 1568.

Aequae existit Debrecini.

DECZI TOLNAI CASP. Historia az Dávid Királynak Vriásnak feleségénél való vétkéről, miképpen David Vriást az hadban Joab által Rába várossának vivásakor meg-ölete: az után Bethsabs feleségül magának el-vőtte Nathan Prophetának meg-feddéséről e mellet szép intésekkel mostan vyionnan versekben szerezttetet. 4. 1579.

(a) Erdélyi Feniks. pag. 33.

(b) Memor. Hungaror. Part. II. pag. 604.

Huius quoque operis exemplar
ornabat Collectionem *Cornidesianam*,
(a) quam Excell. ac Ill. condam
IOSEPHVS S. R. I. COMES TELE-
KI *de Szék*, Sacrae Regni Coronae
Conseruator, etc. a successore rede-
mit: deuolutam vero ad se iure
haereditario Ill. Comes LADISLAUS
TELEKI S. C. R. et A. M. Camera-
rius, vsibus eorum, qui rebus patriis
illustrandis operam dare volunt, *Pe-
stini* promptus offert, curamque illius
Cl. D. Professori SCHEDIUS detulit.

*DECZI-TOLNAI CASP. Az utolsó
eginehany regnáló bünökről való Predi-
kátziok, tudni illic, első az bünről,
második az részegségről, harmadik az
Parázñaságról, negyedik az tánczról,
etc. 4. Váradon 1584.*

Videtur BODIVS (b) nouisse Li-
brum, quum dicat: 1584. *esztendõben*
Détsi Gáspár egy könyvetskejét ott

(a) *Biblioth. Hungar.* pag. 233.

(b) *Erdélyi Feniks* pag. 33.

nyomtatták. CORNIDES autem possedit. (a)

BEREGSZÁSZII PETRI Apologia pro Ecclesiis reformatis Actis impiis Synodi Sabariensis opposita. Accedit Xenium Jesuitis exhibitum, aliquot Epigrammata a diuersis scripta, et edita in gratiam Jesuitarum, item Institutio Monachi, cuius titulus inditus est Jesuita. 8. Varadini excudebat Rodolphus Hoffhalterus. 1585.

Liber mihi nunquam visus, sed duntaxat e Catalogo *Cordinesiano* notus, (b) eo cumprimis nomine me attentum reddidit, quod a PRAIO (c) idem Liber cum hac inscriptione proponatur:

BEREGSZÁSZII PETRI Ecclesiae Varadiensis Ministri Apologia, pro Ecclesiis reformatis, Actis impiis Synodi Sabariensis opposita: cum prae-

(a) *Biblioth. Hungar.* pag. 226.

(b) *Biblioth. Hungar.* pag. 145.

(c) *Ind. rar. Lib. Biblioth. Vniu. R. Bud.*
Part. I. pag. 123.

fatione ad illustrissimos Transsilvaniae Praesides. Seriem libri, et quorundam additorum versa pagina indicat. Fs. 62. v. 4. Quousque machinabimi peruersa contra vnumquemque? vniuersi vos conteremini, eritisque tamquam paries inclinatus, et maceria impulsus. Varadini excudebat Rodolphus Hoffhalterus 1585. in 8.

Huic Titulo celeberrimus olim Scriptor suam, extractu Praefationis addito, Recensionem in haec verba subiecit: „Liber non multis in Hungaria „*cognitus*, alioquin eum Compilator Scriptorum Hungarorum, et „Prouincialium (a) operi suo inseruisset. Author dicat partum suum „*Illustribus, et Magnificis Dominis „D. Alexandro Kendi, D. Wolfgango „Kovacciocio (KOVÁTSOCZYO) „et D. Ladislao Szomborio inclyti*

(a) Hunc defectum Cl. HORÁNYI suppleuit in sua *nova Memoria Hungarorum, et Prouincialium* 8. Pestini 1791. Part. I. pag. 419.

„ *Regni Transsilvaniae, siue veteris*
„ *Daciae, Praesidibus optimis, et*
„ *laudatissimis, dominis, et patronis*
„ *Ecclesiarum ex Dei verbo reforma-*
„ *tarum benignissimis.* In hac Dedi-
„ *catione causam conscripti ab se*
„ *operis in haec verba depromit:*
„ *Postea enim, quam clarissima veri-*
„ *tatis lux abactis Pontificii regni te-*
„ *nebris densissimis; piorum mentes*
„ *illustrauit, coorta mox sunt inter*
„ *ipsorum reformatorum affectatores*
„ *pestilentissima, et maxime exitialia*
„ *partium studia, quae cum a pluri-*
„ *mis exasperarentur, potius fodien-*
„ *do, quam comprimerentur mitigan-*
„ *do, in apertas dimicationes, in per-*
„ *niciosa odia, in optimorum Virorum*
„ *proscriptiones, et exilia, denique in*
„ *bella calamitosissima, quibus inte-*
„ *grae Prouinciae funestarentur, eru-*
„ *perunt.* Rapuit minime segnis hanc
„ *occasionem deuotus ille Dei, et ho-*
„ *minum hostis spiritus, et mox, tam-*
„ *etsi paulo ante desperabundus, et de*

„fuga cogitans, redintegrare aciem
 „perturbatam exercitus sui, Duce
 „Antichristo Romano aduersus Chri-
 „stum, eiusque Ecclesiam coepit. Con-
 „scripsit itaque nouas etiam nonnul-
 „lorum Monachorum legiones, Jesui-
 „tarum videlicet numerosa agmina,
 „qui quidem Monachi Jesuitae, sic a
 „Iesu per summam blasphemiam ipsi
 „a se ipsis appellati, cum Iscariotae
 „potius fuissent dicendi, homines hy-
 „pocritae introrsum turpes, speciosi
 „pelle decora, imperato actutum re-
 „liquis Monachis veluti seriphiis qui-
 „busdam ranis silentio, disputando,
 „atque scribendo, et viriliter satis in
 „caussa Papali tutanda sese gerendo,
 „multorum animis imperitorum hanc
 „spem ingenerare nostro tempore sunt
 „visi fore, vt aliquando Papatus in-
 „termortuus, maximo totius mundi
 „applausu reuiuiscat, etc. — Id ne
 „fieret, conscribendo huic operi Au-
 „thor manum admouit. Non est au-
 „tem, quod ad hoc elogium Iesuitis

„ tributum , addam : errores tamen ,
„ quos paucis his lineis comprehen-
„ dit , dissimulare non possum , quip-
„ pe , qui Iesuitas , eorumque res sic
„ satis cognitatas , et perspectas habue-
„ rim. Male illos vocat *Monachos* ,
„ qui Clerici regulares dicendi erant :
„ rursus male , quod scribat , *seipsos*
„ a *Iesu* appellasse , quod nomen il-
„ lis Summi Pontifices suapte tribue-
„ runt ; male denique , quod *Iesuita-*
„ *rum numerosa agmina* memorat , qui
„ eo tempore , quo author scribebat ,
„ in Hungaria , et Transsilvania non
„ aequabant numerum 30. et anno
„ 1562. ultra octo ex Hungaris , et
„ Transsilvanis , qui hoc institutum
„ profitebantur , non fuerint , vt liquet
„ ex Iesuitarum Catalogo Viennae eo-
„ dem anno 1562. edito : Mirum est ,
„ viro tam platistomo ab hoc homi-
„ num pusillo ita magnum metum
„ fuisse incussum , vt vereretur , ne
„ non , vt ille ait , Papatus eorum
„ opera reuiuisceret. — Sed haec

„ ad dedicationem , non item ad Li-
 „ bri argumentum attinent. Id illi Sy-
 „ nodus Sabariae anno 1579. die 2da
 „ Augusti celebrata suggessit , quam
 „ GEORGIUS DRASCOVITIVS , Ar-
 „ chiepiscopus Colocensis , et Jau-
 „ rinensis Episcopatus Administrator
 „ Clero suo indixerat , eum in finem ,
 „ vt Concilium Tridentinum , cui no-
 „ mine Regis Hungariae Legatus in-
 „ terfuit , in Dioecesi Jaurinensi re-
 „ ciperetur. Orationem ad Synodum
 „ habuit P. MARCVS HORVÁTH
 „ Soc. Iesu , in qua quam late Secta-
 „ rii illius temporis grassarentur ,
 „ prolixè explicat , et Episcopi ius-
 „ su hortatur singulos in Synodo
 „ collectos , vt istorum conatibus
 „ viriliter contrairent. Hinc illud a
 „ BERECSZÁZIO adornatum elo-
 „ gium. “ — Ista de hoc raro ope-
 „ re PRAYVS critice , et prouide an-
 „ notauit. Exemplar , quo vsus est , ho-
 „ die Bibliothecae Regiae Vniuersitatis
 „ Pestiensis adnumerari mihi indica-

uit Eiusdem Primarius Custos Cl. D.
SCHWARTNER.

*KALENDARIVM Julianum impressum
Varadini 1585. ad normam Calendarii
Cracouiensis.*

Rarissimum hoc productum typographicum in fronte Tituli habet sequens Carmen :

*Qui sapit, in veteri maneat ratione
dierum,
Nam noua, nil verae laudis habere
potest.*

Celebris olim STEPHANVS
WESZPREMI Medicin. Doctor, et
Liberæ, Regiæque Ciuitatis *Debrecinensis* Physicus Ordinarius illud tanto in pretio habuit, vt vix alicui per-
lustrandum exhiberet. Fuit mox in
possessorio eruditissimus eius gener
IOANNES FÖLDI Medic. D. et per
Districtum Liberatorum Oppidorum
Hajdonicalium Physicus Ordinarius:
verum, post huius fata, cuinam ob-
tigerit? ignoro.

Singula autem, quae hoc saeculo apud *Varadinenses* in lucem publicam emissa fuerunt Opera HOFFHALTERORVM prelum fatigarunt, quod mihi videtur fuisse ambulatorium; quum in pluribus Hungariae locis ab HOFFHALTERIS editiones prodierint. RVDOLPHVS memoriam sui prae primis *Varadini* reliquit. Fuit is filius (a) RAPHAELIS, origine *Poloni*, qui, grassante illius temporis circa Religionis christianae articulos doctrina abreptus, Patria exulare debuit, ac *Cracouia* primum *Viennam* abiit, inde *Debrecinum* commigravit, tandem *Albae Juliae* in Transsilvania vitam cum morte commutavit.

Sec. XVI.

Antiquissimus huius seculi, qui ex Typographia *Magno-Varadinensi* notus est, Liber inscribitur:

SZÁRASZI FRAN. *Cathechesis, az az:*
Kérdések, és Feleletök, az Keresztényi

(a) DENIS Wiener Buchdrucker Geschicht.
Praef. pag. XV.

tudománnak Ágairol, az Jámbor Istenfélő harmadik Friderik Hertzek birtokában Palatinatusban lévő tudós bölts Doktorok által irattatott, etc, 8. Váradon 1604.

Fit huius mentio apud LAMPE (a). *Articuli Ecclesiarum reformatarum cis, et ultra Tibiscum verbo Dei collectarum, ex prioribus vulgo Maioribus selecti, et in Generali Synodo Varadina publicati, et approbati Varadini. s. a.*

Etiam LAMPE. (b) nouit.

PÉTS - VARADINAK Pázmán Péter Esztergomi Érsek könyvére való felelete 8. Várad. s. a.

Habetur in Bibliotheca Ill. Debrecinensis Collegii H. C.

Διηγῆσις ἱστορικὴ de vita, et obitu Reuerendissimi, ac Clarissimi Stephani Chulják Miskolcini Pastoris ouium Iesu Christi in Oppido Liszka fidelissimi,

(a) *Hist. reform. in Hung. pag. 128.*

(b) *Hist. eccl. reform. in Hung. et Transs pag. 365.*

nec non Ecclesiarum Dioeceseos in Comitatu Zemplén Senioris grauissimi propria manu conscripta. Varadini s. a.

IOSEPHVS KERESZTESSI V. D.
Minister penes Communitatem Hel.
Conf. in Oppido Szalats Comitatus Bi-
hariensis, vir Rerum hungaricarum
insigniter peritus, earundemque dili-
gens collector, mihi 1784. copiam fe-
cit exemplar videndi.

KERESSZEGI STEPH. *Katechismus
magyarázatja Prédikátziokban. Vá-
rad. 1630.*

Quaerendum exemplar in Biblio-
theca Debrecinensi.

KERESSZEGI H. ISTVÁN *Debreceni
Pásztor, és a' Tiszán innen lévő Eccle-
siáknak Püspökje. — Az Keresztyeni
Hitnek ágazatiról való Predikátzioknak
Tárháza, a' német Országai Rhen - Pa-
latinusbéli orthodoxa Catechesisnek ren-
di szerént. Praemittitur: Catechismus,
az az: A' keresztyeni hitre való rövid
Tanítás, mellynek Quaestioi szerént ren-
deltettek ez könyvben lévő Predikátziok,*

4. *Váradon nyomtattatott Fekete István költseg. Szenci K. Abraham által 1640. paginar. 1010.*

Refertur a Cl. HORÁNYIO, (a) et a Bibliotheca Regnicolari Hungarica (b) possidetur cum altero eiusdem Auctoris opere, quod inscribitur: ——— *A' Hitnek: és jóságos cselekedeteknek tündöklő példáirul való Prediká-tziok. in 8. pag. 615. Tituli folium deest.*

MEDGYESSI PÁL. Praxis Pietatis. 8. Varadini 1625.

MARGITAI PETR. Halotti Prediká-tziok. 4. Váradon 1623.

Post obitum Auctoris vulgavit STE-PHANVS KERESSZEGI.

A' tiszta életü Jósef Patriarcha életinek szenyvedésének, és ditsérettel viselt dol-gainak Sz. Irás szerént való magyará-zatja. Auctore MARTINO TINÓDI

(a) *Memor. Hungaror. Part. II. pag. 330.*

(b) *Biblioth. Hung. C. FRAN. SZÉCHÉ-NYI Tom. I. Part. I. pag. 580.*

V. D. M. Körössiensi. 8. Nagy - Várad. 1641.

Az egyházi jó Rendtartásról irott Törvénykönyv. Várad. 1642.

Extat in Bibliotheca Debrecinensi, vti etiam in Regnicolari Hungarica (a) cum originali textu latino sequentis Tituli:

CANONES ECCLESIASTICI in quinque classes distributi, quibus Ecclesiae H. C. amplexae in Comitatus Moson. Poson. Comar. Nitrien. Bars. Hont. et Neograd. et finitimis Praesidiis a Superioribus reguntur, editi communi suffragio Ministrorum Dei in Synodo Comiathiana congregatorum a. 1628. Recusi, et vngarica translatione donati, sumtibus et cura Ecclesiarum eiusdem Helu. Conf. in Comitatus Pest, Solt, Pilis, Nagy, et Kis - Heves, Tholna, Székes - Fehérvár, etc. Varadini apud Abrahamum kertész 1642. 8. pag. 183.

(a) Bibl. Hung. C. Fr. SZÉCHENYI Tom. I. P. I. p. 185.

LAMPE (a) ad hos Canones prouocat.
*LASKAI JOAN. Hittöl szakadásnak meg-
 orvoslása. Várad. 1644.*

Auget supellectilem librariam Col-
 legii *Debrecinensis*.

GÖNCI GEORG. *De disciplina eccle-
 siastica, seu gubernationis ecclesiae le-
 gitima forma in Vngarica natione Cis
 Tibiscum, etc. vbi sequentia continen-
 tur: 1.) Articuli Ecclesiarum cis, et
 ultra Tibiscum verbo Dei collectarum,
 etc. in generali Synodo Varadini publi-
